

aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis ipsius ecclesiae speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus praeterquam auctoritate nostra in ipsa ecclesia receptis vel praebendas expectantibus in eadem personas praefatas in dictarum praebendarum assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatum et praebendarum aut beneficiorum aliorum praeiudicium generari, seu si dictis successoribus et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli aut quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et praebendis ipsius ecclesiae aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem praesentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existant, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut si dictae personae praesentes non fuerint ad praestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesiae solita iuramenta, dummodo in absentia sua per procuratores idoneos et cum ad ecclesiam ipsam accesserint corporaliter illa praestent, plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Volumus autem, quod de nominibus et cognominibus personarum ac diebus collationum huiusmodi gentes camerae apostolicae seu collectorem fructuum et proventuum eidem camerae debitorum in illis partibus deputatum pro tempore quantocius certificare procures. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Dat. Pisis Non. Julii pontificatus nostri anno primo.

Rutgerus.

A. de Cumis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Bleisiegel wie No. 806.

No. 810. 1409. 7. Juli.

Derselbe ertheilt dem B. Thimo die Vergünstigung, 25 geistliche Aemter seiner Collatur an Priester zu vergeben, die bereits ein, zwei oder drei Beneficien besitzen.

Alexander episcopus — venerabili fratri Thimoni episcopo Misnensi salutem —. Personam tuam etc. Hinc est quod nos tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, fraternitati tuae reservandi donationi tuae auctoritate apostolica hac vice duntaxat viginti quinque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura ad tuam collationem spectantia, dummodo aliquod ipsorum canoni-